

Fræna tenens, ne quo se fœde insana libido
 Proruat; illa malis si male deliciis
 Ambiat incensum fallax Amathusia pectus,
 Si quando Idalius venerit ille puer,
 Ille vafer juvenum pestis, volucresque sagittas,
 Promat, & infestas expediat faculas.
 Hæc pater auditus flava Tyberinus ab unda
 Inter mirantes pandere Naiadas;
 Teque suum dixit, tanto & gavissus alumno est;
 Seque mari tumidus prætulit Adriaco.
 Præterea addebat quiddam de stirpe futura,
 Utque potens Latio Rezzonidum incipiet
 Diffundi genus, & late increbrescere septem
 Collibus æternæ germina dia domus,
 Atque alii, atque alii clara de stirpe nepotes
 Usque nova pubem Romuleam serie
 Fulcire, ac lucem Romanis addere fastis;
 Unde & purpureos gaudeat usque patres
 Roma legi, interdumque aliquem se attollere Petri
 Ad sedem, summi culmen ad imperii,
 Virtutesque almas magni, & benefacta referre
 Clementis. Tyberim talia commemini
 Dicere, quæ Proteo didicit monstrante, vel ipse
 Fatorum arcanis legerat in tabulis.
 Illum Pastores, illum audivere canentem
 Tauri non herbæ, non memores laticis,
 Pallentesque alni e ripa, ceu dicta probarent,
 Visæ sunt motis frondibus annuere.

